IA [illegible]

[illegible] philosophi[illegible]

[illegible]GANI Medulla Chim[illegible]

L[illegible] 4 S P Chymia cu-
riosa.

Io Bo[illegible] Epistol[illegible]

De Acid[illegible]

sufficientia

[illegible]

[illegible]ecti[illegible]

[illegible]

De Ci[illegible]men.

GOTTOFR.[illegible]

De Panaceis.



12290/A Brown
Ferguson Inc 94.
Vigaris [illegible]
II 1510
N VII
17/b
DR. ERNST [illegible] COLLECTION
No. 134, 249, 342
689 720 721
1501

GOTTOFREDI HENNICKII, D.

Illuſtriſſ. Comit. Erpacenſium Archiatri & Phyſici provincialis,

DE

PANACEIS

Tractatio Medico-Chymica.

Curioſis experimentis ac ratiociniis illuſtrata.

FRANCOFURTI AD MOENUM
Sumptibus CHRISTIANI GENSCHII,
ANNO MDCLXXXIX.

I. N. J. C.

PRÆFATIO.

VEteres Circulatorum, aviæ ſunt PANACEÆ; Has ab ipſorum pulmone qvis revulſerit? Neqve enim incautos ac albæ mentis homines φρεναπατᾶν facilè poſſent, niſi κομποφακελλοῤῥήμοσιν encomiis ἀλλαντοπωλεῖν elumbia pharmaca callerent, & cortice pingui ἀμάθειαν μετὰ θράσȣς ſuam incruſtarent ad verſutiam ingeniati. Sed hinc procul, ô procul, heus, eſtote profani! Ad orcheſtram vos juſtum damnavit fatum, populo ut ſitis ſpectaculo. Charius mihi chartæ diſpendium eſt, qvàm, ut illud locem neqvitiæ veſtræ ex-

explodendæ. PANACEAS in lariis, neſcio qvibus, Chami vel Hermetis excoctas, crepant etiam hodierni ciniflones ac carbonarii, qvorum nunc paſſim fermè plus eſt, qvàm muſcarum, cum cynocavmata premunt Armeniam. Aulas hi κνισσοδιώκται cumprimis perſtrepunt, qvod ibi ſentiant fervere ollas, cumqve benè & gnaviter impudentes ſint, alunt deceptionibus Magnates eò avaræ ſpei fame auri ſacra provectos. Carbones autem utplurimum theſaurus eſt, qvem largiuntur. Qvod qvis enim non habet, alteri dare non poteſt. Dictis initio dapſiles contortiplicatam telam exordiuntur. Poſtqvam ea, ubi ſint, deſiderantur coràm, qvæ promiſſa fuerunt; neqve parata gutta certi conſilii eſt, neq; adeò auri aut argenti aut

medicamenti, neqve nunc qvid faciant, ſciunt, neq; ad detexundam telam certos habent terminos. Sed ſi qvibus adhuc id ingenii præſto eſt, incudem interea conflarunt, unde procudunt multos dolos cornicum oculis configendis aptos. Qvidam verò dum non valuerunt tragulam injicere Patronis, qvi neſcio qvo pacto præſenſerunt prius, infami fugâ ſibi conſulunt & ſolum vertunt. Iniqvior ipſis fortuna, qvàm poëtis: Hi cum fabulas cœperunt ſibi, qværunt qvod nusqvam eſt gentium, reperiunt tamen. Faciunt illud veriſimile, qvod mendacium eſt. Riſum, haudqvaqvam indignationem, apud cordatiores Chymiatros movent ὀψιμαθεῖς (Theophraſt. in Charact. Eth.) illi Salacones (C. Rho-

 di-

digin. l.7.c. 16.Antiqv.Lect.)ſimplicioribus ἐπιεικεῖς eſſe decet, qvi Arcanorum ſingularium Cuſtodes videri volunt, (utinam eſſent!) & ſplendidis appellationum antepagmentis *Suos* nunc pulveres, nunc Tincturas & pilulas *Suas*, nunc Elixiria, nunc Balſama *Sua*, nunc ☉ *Suum* potabile, nunc *Eſſentiam univerſalem* confortantem *Suam* venditant, ut tirocinia vanitatis hujus ſpecioſæ nondum edocti, ſi demum poſt ſacerrimi ſilentii fidem juratam ex profuſiſſimâ charitatis, ſcilicet ἑαυτοδέλε, gratia Eleuſinii ſecreti reddantur participes, ſe jamjam omnium morborum deſperatiſſimorum περιοδονίκας indubitatò credant. Deinde ubi aſſiduâ ſedulitate arcana iſta non arcana deprehendunt, qvippe in omnibus bonis libris divulgata,

ta,

ta, miſerè objurgant ipſimet μετεωροθήρευσιν ſuam, & pœnitet tot bona verba ſæpè perdidiſſe. Expertus loqvor. Iam per παθήματα ad μαθήματα traductus parum laboro de diphtheris Artiſtarum, qvo nomine vocari amant, inſpiciendis aut deſcribendis. Eucliones ejusmodi Arcanorum egregiè exornatos atq; depexos ſiſtit ὁ πάνυ BOHN. Chymiatriæ altioris conſultus conſummatiſſimus, in *Præfat. ad Diſſertat. Chymico-phyſ.* Neutri horum Pharmacothecio manum nos immittemus, ipſi exedunto, qvod intriverunt: promere ſatagemus, qvid PANACEARUM in thecis ſuis condant Orthochymiſtæ, tales qvidem, qvales ad vivum delineat ἀκροσοφίας Helmontianæ interpres accuratiſſimus, THOMSON. *in Cha-*

 racter.

racter. Legit. Ortho-Chymiſt. ad Rect. Chymicè curandi Method. appreſſo, qvid de illis ſentiendum, qvid expectandum breviſſimis effabimur. Adſit ab alto Spiritus Æternæ Sapientiæ! ὁ πᾶν ἐν πᾶσιν! ἀφ᾽ οὗ καὶ δι᾽ οὗ καὶ εἰς ὄντα πάντα, ᾧ ἡ δόξα εἰς αἰῶνας Ἀμήν!

THECA A.

Capſula. a.

CIrca genuinas dum labor noſter occupatur PANACEAS, nemo limatior divinitatis raptu aut veritatis ludibrio poſtulabit, credo, ipſarum aſſertores. Eqvidem primum etymi frontiſpicium poterat imponere τοῖς in cultiori literaturâ ἀμβλυώπων, at vel Græcorum pueros ſi audiverint, voculam πᾶς, ᾶσα, ᾶν non ſemper, præſertim qvando humanitatis intra pomœria verſatur, diſtributivo complexu ſuam explicare latitudinem, verùm perfreqventer excellentiam rei deſignare, diſcent. Vicem exemplorum tuentur voces *Panſophia, Pancratium*, Morbus *Pandemius*, Medicamenta *Panchymagoga*. Sunt itaqve nobis

nobis PANACEÆ medicamenta non, quæ actu omnem abolent extinguuntqve morbum & vitæ conclamatæ ſpem ubiqve eripiunt, inqve ſeros annos extendunt, ſed *quæ ſummè activa, vel ſimplicia vel manu Ortho-Chymici elaborata*, depuratiſſima, ſine ullâ violentiâ blandè ſub parvâ doſi Archeum morboſâ labe qvocunqve modo vitiatum in ſtatum naturalem reponunt, ut qvantum per inevitabilem mortalitatis legem licuerit, brevi tempore corporis medicationem abſolvat. Caſtigatiſſimis his terminis coërcet etiam PANACEAS Autor aliàs non contemnendus, ſaltem ob id ad Ariſtarchi tribunal accuſatus, qvòd, ceu manibus beatiſſimis patrocinantur *Eruditi Lipſienſes in Actis ſuis πολυτελεςάτοις*, CL. Ettmülleri nomen, pro aucupando, neſcio qvo fœnore, præfixerit, *Medici Theoriâ & Praxi Generali inſtructi.*

Capſula b.

ΑΚμὴν ἐνεϛγητικωτάτην ut exerant PANACEÆ eſt neceſſum. Multa namqve circumſidet obſtaculorum turba, qvæ commeatum cum Archeo liberum ſufflaminare valet. Pollet fermento ſuo ſpirituoſo ſpecifico & alcaheſtico ſalivalis latex, qvi cum ſit ſoboles lymphæ per ductus Stenonianos Warthonianos & ab Anato-

 micis

micis inventorum novorum gloria ornatos, Bartholinianum, (*Vid. Caſp. Barthol. Obſ. Anat. de ductu ſalivali hactenus non deſcripto Hafn. in* 4. 1684.) & Nückianum profluæ, (vid. *Nück de ductu ſalivali novo c. 2. p.* 46.) ab hac & integritatem & corruptelam ſuam haurit, ingeſtisqve dein ſimul imprimit. Circumcirca in ore, palato, faucibus & œſophago denſis ordinibus locantur glandularum catarractæ, qvæ ſi non plorant aut ſudant continuò, evaporant tamen blas aliqvod lymphaticæ ſcaturiginis l. bonitate l malitiâ tinctum. Qvid non ἀλλοιώσεως metuendum â fermento ventriculi, bile inteſtinali, ſucco pancreatico, & lymphæ in receptaculo Pecqvetiano miſcelâ, ſi qvidem exploratæ jam veritatis eſt, medicamenta hoc itineris conficere, ut ê ventriculo per inteſtinorum poros & tubulos lacteos in ciſternam chyliferam delata ductum thoracicum aſcendant, inqve venam axillarem exonerata, aut per venas meſaraicas ad hepar amandata & in venam cavam ablegata, vitæ fonti illabantur, ibiqve turbatam humidi radicalis puritatem ad priſtinam limpiditatem reducant. Sæpius enim non tàm per vias ad locum affectum ſubſtantialiter meando, qvàm per poroſam ſubſtantiam penetrando [illegible]uoſa, cumprimis medicamina ſuum officium facere annotavit *Kerekring. in ſpicil. Obſ. Anat.*

15. &

15. *& B. SCHNEIDERUS*, PP. Witteberg ſuo tempore magni nominis, in corde Sereniſſimi cujusdam exempto medicamentorum antea adhibitorum (intellige topicorum) odorem ſpecificum nares ferire ſenſit, referente Dn. Mittlacher *in diſſ. pro Lic. de partu diff. Coroll.* Circuli hujus ſunt inunctiones, ☿ ales & cingula, balſama atqve epithemata ſtomachalia, anthelminthica externa, Cataplaſma Norwegicum odore ſudorem in febribus inprimis provocans, de qvo *A. Haffn. V. 5. O. 24.* Rectiſſimè igitur βαθύσοφος *Helmont. Tr. Ignot. Hydr.* §. 40. Ejusmodi demum remedia, qvæ permanente & ſoſpite dote ſuâ in inteſtina feruntur, qvæqve apta ſunt reſolvere cauſam occaſionalem, liberant naturam impedimentis. Huc cum ingenioſiores aliqvi verterent animum, cogitare cœperunt de immediato medicinarum cum MS. ♒-um vehiculo, contactu, adeoqve Chirurgiam eniſi ſunt Infuſoriam, qvæ verò brevis fuit ævi, & ob difficultates, qvibus undiqve premebatur, mox iterum animam, qvam vix acceperat, efflavit. Fato mihi defuncta videtur eodem, qvo polychreſta nonnulla in *Tr. de potu Thee* ab eruditiſſimo Pechlino memorata. Ex hujus cineribus ſurrexit Chriſtian machina illa nova, qva qvis *in Epiſt. ad Societ. Reg. Londin.* nuper edita ſuffitus in venas immittere docet. Amico, qvi in

literis non ita diu ad me datis, qværebat, cui bono inſtituatur iſte *ἐγκαπνισμός*? reſponſi loco ad ſuggerendum benignius de Nobiliſſimo illo Capnione Medico judicium, repono illud Helmontianum *Tr. Imago ferm. imprægn. maſſ. ſem.* §. 16. Plurimum ſanatio odoribus perficitur. Etenim, qvia odor ſymbolum fermenti & hinc ſeminariam transmutationis cauſam continet, concludo rerum vires ac robur maſculum ex odoribus eſſe. Cui pollicem premit *Φιλολογο-χυμικώτατος* LANGIUS *in Miſcellan. Curioſ.* qvando ſuffituum evaporationes vel inſpirando naribus vel potius hianti ore aſſiduò ab ægris in pectus decumbentibus exceptas oppidò proficuas in tabidorum curatione deprehendit. Nec ſine ratione *Io.* LERIUS *in Hiſtor. navig. in Braſil. Americ. c. 12. p. 201.* eximiis attollit laudibus admirandas Peti à Nicotianâ, cui vulgò homogeneum putatur, diſtinctiſſimi qvas odoretenus ab Americanis applicitum edit virtutes.

Capſula c.

QVicunqve verò & citam & tutam & jucundam â panaceis deſideras medelam, Ortho-Chymicorum officinas ſuadeo, adeas; in diplomatibus mulierculárum iſtæ non coqvuntur, nec in fatuis vul-

garium

garium deſtillatorum confuſionibus ſunt qværendæ. Spagyricus △ eſt, qvi ſolidis è theorematibus juxta Naturæ principia apodictica conſtructus operatori faculam allucet ad primas radices rerum, cum dearticulatione operationum naturæ & poteſtatum artis, cumqve maturatione virtutum ſeminalium. Ad hunc qvi probè incaluit, diſcit materias remediorum ad nobiliorem dignitatem evectas adſcendere ad gradum perfectionis, libertatis, ſubtilitatis & puritatis, ut ex practicis fundamentis veriſſimè diſſerit *HELMONT. in Tr. Pharmacop. & Diſpenſ. Modern.* §. 27. & 32. Qvanqvam & hîc cautô opus ſit. Pyrotechniſtarum enim experimentis convincimur, △ communiter adhiberi ſolitum corpora non ſolum reddere graviora, ſed & totas eorum ſubſtantias ſeminales invertere ac mutare. Hoc curioſiſſimis tentaminibus, præſertim vitrificatione, chalybificatione & cuprificatione ſubjectorũ vix per ſomnium huic operi aliis adjudicandorum, demonſtrát in omni ſcibili verſatiſſimus *BECHER. Phyſ. ſubterr. l. ſ. 5. c. 3. n. 118. ſeqq.* Illud tametſi in aliqvantò volatilioribus non adeò liqvidum evadat, cum major copia deperdatur, qvam acqviratur, niſi ex △li tranſiens & fixum remanens corpus utrumqve accurata expendatur lance, in fixioribus tamen manife-

nifeſtum eſt. Sic ♄ calcinatus ♄ △is tor-
turam nondum expertum notabili qvanti-
tate vincit. ♃ licet per ſe in -E redigatur,
gravius tamen fit. Capellæ ſi probè cum
injecto metallo ponderentur, utut multum
videatur evaporare, notabiliter graviores
exiſtunt poſteà △ exemptæ, qvàm anteà in
toto cum metallo & omnibus additis erant
affirmante laudato *BECH. c. l. n.* 115. Au-
gmentum hoc non acido lignorum vel car-
bonum -⌒-ui concorporato, prout Tache-
niana ſchola profitetur, ſed ⊖i aëreo, qvam-
vis itidem multis impuritatibus connupto
deberi, per experientiam ſtatuminat *B. CRA-
MERUS PP. Erfurt.* celeberrimus, deſide-
ratiſſimum curioſæ & utilis Spagyriæ ſimul
ac Anatomiæ delicium, in *Colleg. Chym. Mſſ.*
Nimirum ♁ pulveriſati ℥ß ad radios ☉res
per lentem cryſtallinam certâ methodo cal-
cinata copioſum etſi fumum elevaverit,
nihilominus ad ℥j inſuper increvit. Qvi
aërem panſpermiæ receptaculum cognove-
rint, haud difficilem præbebunt aſſenſum.
Sagaciores Philoſophi ſpurium iſtum hoſpi-
tem ſubodorati & rei ſuæ conſulturi peculia-
rem id propter △, furnum & vaſa adinvene-
runt, qvò ſic primigenias corporum ſemi-
nalitates ab heterogeneitatibus immuniores
obtinerent. Nec aliqvos pœnituit in illa
cogitatione curæ qvid poſuiſſe. Qvi ſpe

fuerunt

fuerunt fruſtrati, vel temeritatem ſuam,vel τῆς διανοίας ἀῤῥωςίαν in qvæſtionem arceſſant. Ingenioſiſſimus Anglus, *Dionyſius Papinus*,nulli prorſus △ fidere voluit,adeoqve felici ê cerebro Machinam Digeſtoriam novam fabricavit, qvâ cæteroqvin oſſibus emolliendis deſtinatâ absqve ullâ △ ope ſolâ motus reciprocatione Tincturas etjam & Eſſentias vulgaribus △ conſueto extractis longè ſaturatiores& fortiores produxit.Optarem ut luculentiori in fortuna conſtituti clauſo in arca Jovi vincula laxarent, paulò liberius,& ad boni publici amplificatione artificium tam nobile ſtudioſiùs excolerent.Provocat ad æmulationem jam dum Gallus qvidam,& machinam,ut ipſe gloriatur,Papinianâ commodiorem,exemplari tamen Papiniano uſus,concinnavit.Palmam uter horum mereatur, in medio relinqvunt Eruditi Lipſienſes *Actorum ſuorum A.* 84. *Menſ.Octobr.*Solam ☉trituram in molâ philoſophicâ præclaris encomiis pridem nobilitavit Holſaticus olim Hermes, *LANGELOTT. in Epiſt. ad Nat. Curioſ.*

Capſula d.

CОngruo igitur △e præparatas ſi habueris panaceas, & medentem & ægrum ſiniſtri eventûs ſolicitudo angere neqvit. Nullæ tunc atomi peregrinæ contami-

taminant vel corrumpunt centralem ac virgineam mixti medullam,& mite, diacriticũ tamen, △ menſtruum ſine vel minimâ effeteratione prolectat animam corporis medicamentoſi Naturæ amiciſſimam. Cum enim hæc duci velit, non cogi; blando magnetiſmo in amplexus ſuos rapit omnia, qvæcunqve pari manſuetudine ſibi occurrere perceptat. E contrario turbulentos adverſus ſe impetus maximè perodit,& vel ægerrimè ſuffert aut depellit; vel cum ſui ruina in ſtationem propriam admittit. Inde eſt, qvòd in hydrope, empyemate aliisqꝫ evacuationibus tum artificialibus tum naturalibus paulatinã, non ſubitaneam, alleviationem cupit. Damna nimiis à purgationibus pudendo εὐφορίας imaginariæ numero limitatis, itemqꝫ à V. S.bus annuatim aliqvoties iteratis illata, tot ἔμψυχα ſceletorum teſtificantur ἀγάλματα. Miſeret & fontis & inſontis popelli Medicaſtrorum inſanam ignorantiam atqve αἰσχροκέρδειαν cum irreparabili ſanitatis detrimento luentis. Ea, proh dolor! inſedit opinio, ut ab excretorum copiâ morbi æſtimetur ablatio, cum potius pernicioſa iſta remedia & auxilia ſtimulis ſuis colliqvativis tantum feculentiarum ſordidarum protyentum emungant. Cum hoc errore inveteravit & illa, qvô dyſenteriâ malignâ correpti liqvaminum cœnoſorum hypermetrum

trum profluvium benignitati naturæ ſuæ referunt acceptum, qvaſi jam expurgetur id, qvod longis ab annis in anfractuoſo inteſtinorum tractu delituerit. Nunc fore, ut omni ægritudinis ſcaturigine exhauſta merum nectar vitale balſamicum partes deterſas irriget & humectet. Sed expectationem ſæpè lugubris occidit eventus. Miaſma virulentum opes acqvirit eundo, & ſerò tandem medicina paratur, cum ∽ vitalem in tabum fatiſcere coëgit. Si proluvies iſta ſolum à collectione vitioſorum humorum oriretur, unde, qvæſo, ſitis tam ardens, vigiliæ contumaces, ſumma virium proſtratio, appetitus dejectus aliaqꝫ hypercatharſεων ſymptomata derivanda eſſent? ∽tus oportet cum humoribus utilibus exurbari una, rectoremqve alienum tyrannicum ſucceſſiſſe. Noxæ ſuſpicionem affert vel ſimpliciter copioſa excretio, qvoniam omnia excrementa ſunt ∽uoſa: qvantò magis animadvertendum eſt in malignam. Magni autem fermenti ſchema induunt etiam qvævis draſtica. Sæpe ſubiit mirari, cur inter univerſalia præſidia collocarentur V.S. fonticuli, hirudines, purgantia &c. qvandoqvidem neqvaqvam morbi cauſam tollunt unqvam. Tantillum eſt, qvod irritat & inqvinat, longeqve anguſtius ſuo loco, non aliter ac ſeminifica vis vel anima

vix milleſimam grani ſeminalis partem conſtituit, reliqva qvæ circumdant involucra pro munimento ſunt. Qvemadmodum igitur illa non extinguitur, utut circumcirca integumentis ſuis ſpolietur; ita qvoqꝫ ſemina morboſa tantum abeſt ut cum remotis undiqve humoribus ſimul ſecedant, ut potius ſe multiplicandi apertiorem nanciſcantur campum. Qvotidiana clamant exempla per V.S. ac purgationes non rarò febb. intermittentes duplicari, triplicari, imò qvadruplicari. Per omnes morborum ſpecies inconſideratæ methodi mala, qvæ poſt ſe trahit, connumerare noſtri nec inſtituti nunc eſt, nec camarinam de induſtriâ movere expedit. Fecerunt hoc ante nos alii, qveîs valentius robur ad veritatem & odia in ejus defenſionem ſtructa perfringenda dederat DEUS, Ipſe Veritas. Theoria *μεταςσιονόȣ Helvetii* in *Diribitorio Medico* qva omnes cauſas morbificas ſuper ſaporibus & odoribus fundat, ſanè non eſt de nihilo. Praxis illi feliciſſimè reſpondet. Qvi CL. *ETMULLERI*, oculiſſimi Chymiatrorum *ἐκλεκτικῶν* Coryphæi, *diſſertat. de Parvi magnor. morb. init.* perlegerit attentius, totam rem in Solis velut diſco ſpectabit oblatam. Graviſſimi morbi ſunt hereditarii totiqve plerumqve corpori ſuam affricant labem, qvam, ſodes, humorem depravato-

rum

rum dabis qvantitatem; per qvam illi pro-
pagentur? Ideale profectò eſt, qvod cum
ſemine vel chylo apportatum principiis
embryonis vitalibus intimè contexitur,
& preſſiſſimè inſigillatur; ob teneritudinem
unc legitimus Formator adulterinam ima-
ginem facile recipit, & hujus ceu potentio-
is ſecundum indolem tota dein temperies
leterminatur. Ita juxta *LUDOVIC. in Mi-*
ellan. Nat. Cur. D. 1. A. 9. O. 155. Conf D. 1. A. 1. O.
3. & A. 10. O. 155. puella per totam ætatem in-
er corporis animiq; motus pallere viſa eſt,
vod matre tertianaria primo congreſſu pro-
enita fuiſſet. Non hic materia febrilis orga-
ica tranſiit in fœtum, ſecus febri laboraſſet,
d vitioſa idea (qvæ nihil eſt aliud, qvàm
orborum Eſſentia) in alimento fœtus ſpi-
uoſo è matris viſceribus advecto deline-
a, qvalis in tertianariorum paroxyſmis
imis Archeum luminoſum percellit.
inimo morborum effectivo ſic cognito
ud præter rem qviſpiam *minimum* mor-
rum curativum opponere deſideraverit.
id verò panaceæ largiuntur, Conf. iterum,
ubet, *diſſert. CL. ETMULL.* ſupra com-
ndatam. Opiata, ♄lia, ☿alia ritè præpa-
a mille teſtes. Qvomodo id præſtent, ex-
nemus infrà. Hoc loco ſufficiat indi-
ſe, qvod dum unâ parte fortificent ~ vi-
m, totus fortificetur, qvam rem egre-

giis annotationibus illuſtratam, vid. ap
Maxvell. in Medic. Magnet. c. 10.

Capſula e.

ARcheus enim ſive ἐνορμῶν Hippocra-
tis ut ritè conſtitutus in luce & regu-
laritate ſuâ balſamico - ⊖nâ vigoris noſtri
cuſtos ac conſervator eſt: Ita à degeneri-
bus ac per varios in ſextuplici digeſtione
Helmontianâ commiſſos errores geniti
cruditatibus in ataxias conjicitur exorbi-
tantes, & ex tædioſis, tetris, deformibus à
impuris objectis fabricat antitypon abſolu-
to charactere ejus, â qvo animatur, ſtig-
matizatum, ad hujus poſtea normam omne
in corpore actiones diſponit ac ordinat.
Liqvido liqvidius id elucet in picâ, qvæ ni-
hil eſt aliud, qvam appetitus variarum re-
rum abſurdarum ex phantaſiâ ab acid-
uoſis ſordibus in ventriculo potiſſimum
ſtagnantibus & ideam ſeminalem ſui multi-
plicativam continentibus prognatus. Il-
idea vitioſa phantaſiæ debiliori jam impe-
rans non permittit, ut illa placidam à ſan-
ctioris œconomiæ regimine correctionem
ſuſcipiat, ſed obſtinatô imperio conſenſum
extorqvet ad ea concupiſcenda, qvæ ſibi
ſatiandæ concipit apta. Hinc picantes mo-
dò lutum & ſtercora, modo cretam ac car-
bones aliaqve abſurda magnô cum guſtu
ob

ɔblectamento voráſſe leguntur. Qvorſum pertinet, qvod bilioſi inſomniis de △, ſitibundi de potulentis, ſemine ♁uoſo locupletes de libidinoſis actibus, melancholici de ſuffocatione aut ſtrangulatione afficiantur. Enucleatiſſimè thema hoc erut *THOMSON. in Rect. Chym. Cur. Meth. c.* ·*toto. & CL. Ettmüller. in diſp. de Morſu Viper. c. 1. punct. 5. §. 3. conf. diſp. pro Grad. Dn.* Schreibers *de Ærumnis Archei, Gieſſ.* 1685. *habita.* qvibus ὁμόφωνον pleno ore ſe præbet *BECHER in ſupplem. 1. ad Phyſ. ſubterran. c.* 6. non procul ab initio, ubi qvoqve argumentis plurimis & ſatis ponderoſis corroborat PANACEARUM exiſtentiam, ut non niſi rudibus, φιλονείκοις & ab ἀντιλογίας ſtudio παρεξηνλημένοις in dubium venire qveant. O fortunatum ægrum, qvi panaceam genuinam nactus fuerit! Multam ille ſalutem & corpori & crumenæ acqvirit, multum nauſeoſorum niſuum evitat, brevi curriculo omnem criſin, boni Medici dedecus, antévertit. Qvanqvam inficias ire non qveamus, qvod in tempore venire ut omnium rerum, ita & hîc ſit primum. Sæpè in principio unico diaphoretico ſelectiori pleuritides graviſſimæ, imò febres malignæ ipſæ jugulantur. Laborabat nuper Comes Illuſtriſſima convulſionibus hyſterico-ſcorbuticis periodicis inauditis,

 & affir-

& affirmare auſim, nunqvam viſis. Data ſub ipſa paroxyſmi invaſione medicamenta neqvicqvam auxilii levaminisve conferebant: proſeqvebatur vitioſæ impreſſionis motum impotens ſui Archeus. Sin horas præterpropter duas ante paroxyſmum qvadris ☽ ſingulis inprimis recidivantem alexia præberentur pharmaca, feroces ejus inſultus ita refringebantur, ut ſtatâ horâ ſaltem in interaneis artuum vix levis aliqva fluctuatio & formicans diſcurſus ſentiretur. Sic civis qvidam Michelſtadienſis ante menſem tuſſi ſtomachali ſicca ſingulo præſertim mane hora 2. exacerbari ſolita & poſt ☉ ortum uſqve continuâ irritatione corpus emaciatum concutiente miſerè diſcruciabatur, appetitus planè dejectus erat & moleſtiſſima titillatio fauces ἀδιαλείπτως vellicabat. Habitus ab aliis pro phthiſico me qvoqve conſuluit. Dedi pulv. incidentis ac reſolventis doſes aliqvot, ſimul enim de pituitâ admodum tenaci glutinoſâ œſophagũ obviſcante qverebatur. Poſt dies aliqvot eum tuſſi excutit dimidiam, oſſis prunorum partem ante dies 14. fortuitò deglutitam, malum perdurat. Jubeo horâ matutina primâ pilulam j. Laud. opiat. & vel minimis horâ ſecundâ recrudeſcentiæ ſignis ſe prodentibus, ſumere alteram. Hoc facto tuſſis emanſit, eodem ipſo die ſtatim optimè ſe habuit, & nunc per DEI Gratiam vivit saniſſimus.

ſimus. Motâ igitur ſalivâ guſtandas nunc propino ipſas Panaceas ê triplicis regni penu conqviſitas. En refertam illis alteram thecam.

Theca B.

Capſula a.

KΛειδȣ̃χον huic thecæ incomparabilē præficio *LUDOVICI in diſſ. Pharmac. 1.* ubi de ſelectu remediorum in genere & de Univerſalibus judicioſiſſimè, ut omnia, dicit *p. m.* 78. 79. 80. 81. 93. 112. usqve ad 129. Nemo ante ipſum tàm candidè, tam exqviſitè, tanto veri amore hyperbolicas utplurimum panacearum laudes ad experientiæ rationisqve ſanæ lapidem Lydium examinavit. DEO ſint æternæ grates, qvod emendatiſſimo huic Autori me applicuerit. Non ægrè ferent, qvicunqve manibus tanti Viri beatiſſimis favent, ut aliqva mantiſſæ qvaſi loco adjiciam apparatui ſelectiſſimo. Non enim omnia fert unius viri ætas, & poſterorum qvoqve ſedulitas meritæ laudis teſtimonio eſt cohoneſtanda. Fatetur hinc talium Cenſor ἀκριβέςατος *BOHN. in diſſ. Chymico-Phyſ.* 8. §. 8. ſe Primum Ens vegetabilium ejusqve uſum â *PARACELSO de Renovat. & Reſtaurat.* in morbis Chronicis pro totius naturæ reſtaurativo ac corroborativo decantatum,

 vanis

vanis pollicitationibus, qvibus ſcripta Paracelſi paſſim turgerent, adſcripſiſſe, niſi le *FEBVRE Chym. part. 2.l.2.c.9.* fidem illius triplici experientiâ adſtruxiſſet. Commodè verò panaceas diſpeſcimus in vel *Naturales* vel *Artificiales*, hasqve iterum vel *Univerſaliores*, vel *Particulares* magis certo conſtantiqve effectu morbo alicui appropriatas pronunciamus. Naturalium in claſſe ſunt e. g. Radix Ninſi, Chinenſium Panacea, in Muſeo Reg. Societ. Angl. videnda, referente *Nebem. GREVV. p. 22. in Tr. de illo.* ⁓mundi ſive Eſſentia Univerſalis, aliàs ⊖ univerſale Hermeticum appellata, qvam vel Balduini magnete in libero aëre, vel Becherianâ ſolertia *Suppl. 1. c. 4. p. 602. & 603.* in ⁓bus valdè fragrantibus & ☉um ſubſtantiâ Philoſophi venantur. Balduini inſtituto applaudit, qvod communicat *D. de la CHAMBRE in Iournal des Scavans A. 1666. Eph. 25.* Scilicet ſubtilium vaporum copioſam elevationem; qvando Nilus fermentatione naturali turgeſcens inundat terram ſuam, facere aëris depurationem & roris ortum, qvem Ægyptii Guttam vocant, qvo depluente propediem morbi exitioſè ibidem graſſantes ſimul abigantur omnes. Qvicunqve ex Drebbelii & Balduini periculis intellexerint, qvantum in fermentatione ſanguinis conſervandâ & ⁓bus vitali-

bus

bus generandis ⊖ aëreum præſtet, æqvam ſatis de illo tenebunt ſententiam. Forſan huc qvoqve ſpectant, qvæ non ineptè de Q. E. Archeo noſtro, qvi humido unctuoſo gaudet, homogeneâ conficiendâ proponit *BECHER. in Pſychoſoph.* Cui ▽ præconiũ faciunt *TACK. in Phaſ. Soph. & Evcren. Theoſoph. HELMONT. in Paradox. 3. HORN. in Arc. Moſ. BECH. in Phyſ. ſubt. ſect. 5. c. 2. n. 106.* Kalchof. *in diſſ. pro Grad. de Fontib. ſoter.* Qvantam gloriæ mercedem virtutes Theæ mereantur, peculiaribus comentariis CL. *PECHLIN. & BONTEKOE* propter raram & cordatam eruditionem apud invidos curtæqve ſupellectilis ſibi conſcios infelicis famæ vir, ſunt executi. Num parem efficaciam cum *Thee* aſſeqvantur baccæ junip. & ſambuc. eodem modo uſurpatæ, qvod anonymus qvidam in pauperum gratiam & Germaniæ commoda nuper aſſeruit, in futuram, DEO volente, experientiam differo. *Coffi* rarior apud nos uſus viribus ſuis celebritatem adhuc dum non adeò paravit magnam. *Tabacum* & Spiritus vini qvî nautarum ſit panaces, vel tirones naturalium habent perſpectum. De benedicto iſto nepenthe, *Opio*, pleni ſunt Practicorum libri, plenæ fauſtiſſimarum Curationum obſervationes, plena Chymicorum armamentaria. Naturalibus panaceis de induſtriâ illud accenſeo,

qvod crudum etiam hodiè ſecurè ac ſine noxâ aſſumatur. *Panacearum Artificialium* auctoramento ſuperbiunt Q. E. nullo liqvore ⊽tabiles, qvas præparandi modum tradidit ingenuè *CL. ETMULL. in append. Mſſ. ad Colleg. Ludovic.* De Poterianis Q. E. *in Pharmacop. Spagyr. ſect.* 10. *c.* 1. deſcriptis aveo judicium ſolidiſſimum D. *Friderici Hoffmanni*, Medici Electoralis Brandenburgici & Phyſici Halberſtadienſis abſtruſioris Chymiatriæ ac Pyrotechniæ Oedipi ſagaciſſimi, Præceptoris de me immortaliter meriti, in notis, qvas illuſtrando Poterio dicatas promiſit. Si nondum ſunt editæ, communi Philiatrorum nomine, eas ut maturet Vir ἰατρικώτατος, Patronus inſigniſſimè mihi charus & cultus, enixè rogo. Q. Earum nobilitati proxime accedunt ∞ volatilia aromatica perfermentationem in ⏜ ardentes deducta. Magnum hic arcanum latere *Becher. in Phyſ. ſubterr. l.* 1. *ſ.* 6. *c.* 2. *n.* 20. ſpondet *& ſuppl.* 1. *c.* 5. *p. m.* 617. prædicat illa *Eſſentiæ univerſalis* receptacula. Exemplar præparationis Illuſtr. *VVedel.* Præceptor & Patronus ſanctè colendus *in Tr. de ⊖ Volat. Plantar.* publicavit. Conf. *Stark. in Pyrotechn. & Ludovic. de ⊖ Tart. Volatiliſ. p.* 49. Fortean collimârunt huc, qvi ⊖bus volatilibus ∞ſis conficiendis operam impenderunt ſuam. Ubi qvidem Sylvianum omnes lactat, plurimi jactant, pauciſſi-

ciſſimi factitant. Citiùs credo horologia convenient, qvam de verâ ejus præparatione eruditi. Ille hanc, hic illam, alius aliam ſuſpicatur legitimam. Catis pectoribus Chymica ſapientia ſe ducem præbebit certiſſimum, ut ex iis, qvas *Leonicen. Veronenſ. in Metamorph. Æſculap. & Apoll. Collectan. Chym. Leidenſ. Franciſc. Vigan. Veron. in Medull. Chem. Dolæus in Encyclop. Bohn. in Colleg. Chym. Mſſ. Korber. PP. Chym. Erfurt.* nunc *Collegii curioſi novi Hamburgenſis membrum digniſſimum, in diſſ. pro loco de Eclipſi Microcoſm.* propoſuerunt, eligat optimam, ab omni cruditate immunem. Analogam nonnulli eidem volunt Eſſentiam ſtomachicam Thomſoni è ♃ ⊖ * vinoſo & ☍ NM. expreſſo productam. Nec inferiori ſe effert laude ſpirit. ex fermentatorum liquorum ſubſtantia media juxta Becherianam enchireſin in *Phyſ. ſubterr. ſ. 5. c. 2. n.* 259. ℞ tus. Elix. PP. Helmontianum alb. ridet *Bohn. in diſſ. Chymico-Phyſ.* 8. §. 19. Niſi clavis tartareo-volatilis accedat. Tunc autem virtus potiſſima eſt â menſtruo. Pro qvo ipſo reperiundo diu multumqve ſudatum eſt. Et qvamvis *Beccher. in ſ. 6. c. 3. n.* 79. *Phyſ. Subterr.* volatiliſationem ſalis tartari non adeò arcanam aut magni momenti cenſeat, non tamen tam facilis eſt, qvàm vulpes pirum comeſt. Sanè Chymicos exercitatiſſimos non piguit laborem pro eo

ſuſci-

ſuſcipere & pauci Phyllida illam ulnis ſuis fovent. Corrivalibus tamen gratificabuntur *Ludov. in Tr. de ⊖ tart. Volatiliſat.* Beeck *in Expp. cc. Princip. Rer. Natur. Langelott. in Epiſt. ad Nat. Curioſ. R. Boyl. in Ch. Scept. p. 25. 26. 141. 142. Miſcell. Nat. Curioſ. D. 1. A. 2. O. 38. Thile in diß. de ſale tart. △li coagul. Johren. in diß. de affect. Hypochondr. Helbig. in Introit. Aperto ad Phyſ. Inaud. Becher. Suppl. 2. th. 6 p. 679. 780.* Elogia verò ſali tartari volatili à Ludovico de Comitibus pleno horreo admenſa, qvod paulò accidere ſtuduerit *Becher. in ſ 5. c. 3. n. 78. ſeq.* meritò gratias habemus magnas. Qvo jure titulum ſuum defendat *Cera Catholica Burrhi,* judicent peritiores. Qvam ſalutarem Herculem adverſum omnes morbos per diureſin curandos & pro ſanguinis fermentationibus extraordinariis ſedandis ſe gerat MP. *Starckey* ex ⊖ tart. ſpirit. l. 🝆 Terebinth. lucid. extr. op. hellebor. nigr. & glycyrrh. pulveriſat. formata in itineribus per Angliam factis annotavit Schelhas. fidem interponit *diß. de Ægro deflux. Catarrh. labor.*

Capſula b.

PAnaceas alicujus valoris ê regno minerali extrahere qvicunqve dant operam, illi cumprimis ♄ & ☿ probè per

△ ex-

△explorant. ☉ria, in qvibus ultimum vulgò præſidium & Archei confortandi ſolatium unicum putatur reſiduum, expectationi vix unqvam ſatisfaciunt, & ſi qvid efficiant, id omne provenit ab additamentis. Nebulam errorum, qvæ circa theſin hanc multorum offuſcavit animos, diſcutere dudum ſunt aggreſſi Anteſignani ſcientiæ chymicæ excellentiſſimi. Poſt incomparabilem Ludovic. primas tribuo *BOHNIO*, *THOMSONO*, *Iacobo Friderico* Dehn Rothfelſer, Crameri deſideratiſſimi diſcipulo, *in diſp. Doctor. de Experim. Chym. qvorund. regni mineral. iniqvâ explic. & applic.* §. 27. Sed ſtudiò qvidam malunt cœcutire in luce meridianâ. Præparata ex ☉ non omninò ſupervacanea vix ſunt totidem, qvot divitis oſtia Nili. Londinenſis illa ab *Antonio Fabro* profecta ☉ *ſolutio* B. Crameri judicio omnibus reliqvis eſt præferenda & non ſemel in *Sereniſſimi Principis VValdeccenſis* domo primatum ſuum ſpeciminibus approbavit inſignibus; cui tamen æqviparare m eas, qvas *Mont. Snyd. in Tr. de Medic. Univerſ. & BOHN. in Progr. qvod.* Academ. benevolè detexerunt. *Tackiana ſicca* ex regulo ♁. ☉ & ⊖ ✱ videtur alienis plumis ſuperbire, utut non prorſus ſpernenda ſit. Copiam ejus MSSto cuidam in *Illuſtriſſ. Comitis Dn. Georgii Ludovici, Comitis ab Erpach,*

pach, Dynaſtæ in Breuberg, Domini mei Clementiſſimi, Bibliothecâ aſſervato acceptam refero. In coctiorum ☿alium familiâ caput effert ☿ diaphoret. Helmont. ê cinnab. ♁ii cum 🜄 vitriol. ♀ viridi paratus, cui æqvivalentem alii laudant cinnabarim è regulo ♀ & ☿ 🜂 evectam. ☿ corallat. Paracelſi, prout qvidem â *D. Screta*, in emusſitatâ *πολυγλωττίᾳ*, ſpagyroſophiâ & Therapeuticâ prudentiâ nulli ſecundo, juxta communicat. præclariſſimi *Nebelii; M. L.* Amici chariſs. elaboratur, in hoc videtur Bezoarticis mineralibus palmam præripere, qvod ♀alis magis ſit, in illis verò ♁ magis dominetur. *Driff Helmontii* diverſi diverſè conficiunt. Viam ad illud deveniendi monſtravit aliqvatenus *Cnöffel. in Miſc. N.C. D. 1. A. 4. 92.* â qvâ ſecedit mox illa, qvam illuſtr. *Volckamerus* calcat, qvod ex communicatione B. D. *Schefferi*, Patroni mei, dum viveret, benigniſſimi, cognovi. Conf. doctiſſ. *de Driff Helmont. diſſ. â M. Gerbero* 1685. *Erford. habitam.* ☉ *vitæ* Comitis cujusdam Illuſtriſſ. Hohenloicæ ex amalgam. ☿ & ☉ certâ enchireſi tractatis confit. *Panaceam de la Vigne* qvidam ê ceruſſa ♄, qvidam ex ☉ & ☽ cum ☿ amalgamatis inqve pulv. rubicundum △ beneficio converſis prodire exiſtimant. Mirandum in deſperatiſſimis morbis remedi-

tum ab aliqvo celebratur illud ex ☉ fulminant. cryſtall. ♄ & cinnab. ♁ rectif. ãa per putrefactionem Philoſophicam radicaliter unitis. ☿ magneſiaci præco eſt eruditiſſimus Burbaum *in diſſ. de Variol. ſub Bohn. 1679. habitâ.* In cinnab. ♁ii energiâ catholicâ ediſſerenda *ἅπαντ᾽ ὀκτὼ ἔχει* diſſertatio *ἐξωνυχισμένη σπαγυρικο-δογματικωτάτȣ Hoffmanni mei.* Panacea ☉ea *Gooſen van Ureeswryck in de Græne Leeww of het Licht der Philoſophen & in vervolg van Cabinet der Mineralen*, cujus opuſcula ê Belgico idiomate in noſtram transferre vernaculam meditor, nihil eſt aliud, qvàm Tinctura ♁ ex ſulph. ♁ ☉to puriori formæ tum ſiccæ tum liqvidæ ſchemate induta. Et profectò ſponſionem facere ſuſtinerem, omnes illas animas ſecretiores tinctur. & pulveres ex ♁ proſapiâ oriundos ſobolem eſſe ſulph. ☉ti ♁ peritâ manu [illegible]tati. Ita *Glauberiano-Kriegsmanniana panacea* in epilepſia præſertim funditus exſtirpanda & odontalgia per externam irradiationem ſopiendâ, ut in elaboratiſſimâ de Convulſ. diſp. pro Doctor. D. Valentini, Amicus æſtimatiſſimus, pro comperto retulit: it. *Gramanni Arcanum benedictum* qvid aliud ſunt, qvàm ſulph. ☉ tum ♁, & niſi me fallunt omnia, ipſum hoc pro baſi eſt febrifugo famigeratiſſimo B. Alary tabellarum formâ larvato & regio

pri-

privilegio donato, cujus in *Actis ſuis A.* 1675. *M. Jul. p.* 333. Eruditi Lipſienſes mentionem faciunt. Stomachicum Poterii encomiis illuſtre procedere ex ♄, Excell. Dn. *D. Schleiermacher, Archiater Haſſo-Darmſtatinus celeberrimus*, Patronus meus candidiſſimus, itemqve D. *Hoffmannus* ſupra laudatus me docuerunt. Aſtipulantur Auguſtani in Pharmacopœæ ſuæ noviſſimâ coronide. *D. Hoffm.* inſuper benevolentiæ debeo Tinct. ♂♀ eam nobiliſſimam, qvæ citra ♀ eorum innatam indolem vomitum non movet, ſed virtute aperitiva & anodyna agit laudatiſſimè. Deſcriptionem ejus in *Colleg. Chym. privatiſſ.* qvondam dictitavit. De ſulphuribus metallicis ob præſtantiam ſuam ſpeculis lucentibus Archeum exhilarantibus comparatis integrum *c.* 13. *Thomſon. in Rect. Chym. Med. Meth.* meretur legi. Vires *Panaceæ Holſteinenſis*, ⏜⊖*, Acidularum, Thermarum omnis loqvitur dies. ♂ ſalutiferum morborum omnigenûm debellatorem olim publicâ diſſ. cum ſummos in Medicinâ honores ambiret, extulit *Adam Sigiſmund.* Schelt *ſub Præſid. Rect. t. t. Magnif. Krauſ Jen.* 1673. Bezoarticam ⏜tus ſ. ▽ ⏜uoſæ inſipidæ ex bolis ac terris ♌tæ virtutem utut multi floccipendant, multùm tamen illi tribuunt *Act. Med. & Philoſ. Haffn. A.* 71. 72. *O.* 10. *Bech. in Phyſ. ſubterran.*

In

In fontium ſoteriorum ▽ â terram ♎uoſam ſ. ♎ fixo-△lem unice veneratur Kalchof. *l. c.* Ulcerum & vulnerum omnium acorem inimicum vitriolaceis & ♄ninis optimè ſubigi, in Chirurgorum tonſtrinis diſcitur καθ' ἡμέραν, utinam in omnibus! *Gemmarum* virtutes medicinales contra objectiones adverſariorum tuetur *R. Boyl. in Tr. de Gemm. p.* 34 *ſeq.* & *p.* 54. demonſtrat, eas per præparationes Chymicas decentes exaltari poſſe. *B. Cramer. in Colleg. Chym. Mſſ.* ſpiritui aſtrali in gemmis concentrato omne defert punctum. *Lapidem magneticum Butleriano* analogum in regnum metallicum, animale & vegetabile dominantem in arcanis ſuis ſervat *Franciſc. Vigan. Veronenſ.* aliqva tamen ad eum perveniendi veſtigia in *Medull. Chem.* reliqvit impreſſa.

Capſula C.

IN regno animali panaceas hactenus qvidem notas vix reperimus. Qvæ enim de filiis Paraſceves, (ut Belgis) vel Catharinæ alumnis (ut Italis ſalutantur) memorant Autores, vel ſuperſtitioſa ſunt vel incerta vel fabuloſa, Conf. *diſſ. Magnif.* Dn. Pro-Rectoris, Illuſtr. *D. Franci*, Præcept. & Hoſpitis olim gratioſiſſimi, *de Halitu Humano.* Non melioris ovi fœtus eſt ♎ halitus humani â Paracelſo effictus. Præſervativum

universale naturale privativum *Jacobi Jo. VVenceslai Dobrzenſky de Nigroponte* maximis adhuc laborat difficultatibus. *Vis aliena teſſæ* ſ. Eſſentia ſalivæ in Democriti laboratorio nunc digeritur. Mumiæ, qvas aliqvi ex traditione tanti faciunt, nihil aliud ſunt, qvàm thecæ mixturarum balſamicarum in ſuis locis natalibus curioſè compoſitarum, ad nos transportatarum, qvibus remotis ſola cutis & oſſa reſtant. Melli propter ⊖ naturæ copioſum in ipſo panegyrin canit *Lang. in Miſc. Curioſ.* ſed ingerit ſe hic illud: Μηδὲν ἄγαν. Lapides ♋ cum nullus ferè non morbus ferat, imò poſcat, meritò προεδρίαν obtinent. Perlarum & lapidis Bezoar imaginaria præſtantia pridem ab aliis eſt revelata, nec perſuademur, ut credamus, differentiam pauxillam, qvam per ſolutiones cum diverſis menſtruis animadvertit *Anton. van Heide. Obſ.* 58. 59. de intrinſeca valoris excellentioris craſi teſtari. Cæterum pleraqve ex animalibus deſumpta ſunt ſpecifica, forſan qvod idearum in ipſis tenacior impreſſio & phantaſticum ſigillum, ex qvo brutorum docilitas pendet, non facilem â corporis noſtri ♌ recipiat mutationem, exemplo chirurgiæ transfuſoriæ, philtrorum & morſuum à beſtiis rabidis inflictorum mumiali ſpirit. confermentatione virus exerentium id

clariſ-

clariſſimè dilucidare poſſemus, ſi ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾷν luberet. Illud ſaltem adhuc addo, qvod aliqvando pleuriticus qvidā ex aſſumptâ raſurâ dentis apri ſomnium de apris habuerit memorante πολυμαθεςάτῳ *König in D. 2. A. 3. O. 96. Miſc. Nat. Curioſ.* & pro fide, qvâ eſt germaniſſimâ, Excell. D. *Schleiermach.* ſancte mihi affirmavit, ſe aliqvando ſpirit. è ſangvine humano certâ enchireſi ♌tum infallibili cū ſucceſſu adverſus epilepſiam & applauſu abundè glorioſo diſpenſâſſe. Eidem de novo conficiendo totus jam iterum inſudat Interim ſi qviſpiam nomen *Idearum*, qvas ego *primigeniæ Lucis* nemini Philoſophorum adhuc dum intimius perſpectæ, occaſione tamen Phoſphororum paulò micantius refulgere incipientis, ſcintillas vel imagunculas credo, nomen averſatus fuerit, omniumqve corporum ſingularem craſin tùm externam tùm internam, ſive modificationi, proportioni, texturæ particularum ſpecificæ & motui diſpoſitivo: ſive æthericum materiâ catholicâ, ▽, primos ſeminales globulos conſtituenti, qvi ſecundum exemplar à primo omnium Motore primitus impreſſum durationis principio determinativo dotati advenientem ab extra l. In ▽ l. in aëre vel terreis particulis ætherem adhuc ἄμορφον ſpecificè coagulent, compingant, ordinent, & juxta motus ſui leges moderentur & vice verſa, adſcri-

bere voluerit, ei non adeò refragabor. Res eodem recidit utrobiqve, ſive qvis, ubi effectu ſpecificorum ſperato exciderit, ideam alteri contrariæ ſubigendæ vel expellendæ non idoneam; ſive particulas hujus iſtius medicamenti poris peccantis cauſæ morbificæ non conformes accuſaverit, vel motui diverſo culpam impegerit. Neutrobi tricæ omnes expeditæ. Ubiqve clarum manè adhuc poſt noctis umbram occulitur. Diviniorem adhuc ἔλλαμψιν captant omnes ſeduli Naturæ ruſpatores.

Theca C.

Capſula a.

Qværis jam rationem tam honorificæ nomenclaturæ, qvâ medicamenta qvædam inſigniuntur, dum Panaceæ audiunt, ex triviali ſanè Humoriſtarum ſcholâ vix redibis doctior, in illam ſi te ablegaverimus. Miramur virum cætera doctiſſimum, & decus Bononienſe præfulgidum, Laurent. Bellinum *in Op. d. Ur. Pulſ. &c.* aliquid ex paſſiva iſtorum deceptione traxiſſe, qvando de facultatibus medicamentorum in genere hanc tradit, non dicam, defendit ſententiam, qvod vel novam glandulam ſecretioni vitioſi humoris (qvem putat ideò collectum,

qvia

qvia nulla adfuerit glandula, qvæ vitioſo ſimilem naturaliter ſeparare potuerit) aptam forment: vel humores ita alterent, ut à glandulis ordinariis ſecernantur ac eliminentur. Δεύτεραι Φροντίδες ejus factæ videntur σοφώτεραι, & ibidem docet, medicamenta omnia per contactum operari, & qvædam eorum totam MS. inſtar lapidis ▽ injecti commovere, qvæ ſi rectè explicentur, omninò poſſunt admitti. Prior ſententia nec vulgaribus Pharmacis nec Panaceis competit. Nam cum immediata omnium morborum cauſa hæreat non in humoribus, utpote producto, ſed in Archeo; ὕστερον πρότερον committent, qvi non huic primas ferunt ſuppetias, ut ſuæ ſtationi præeſſe hoſtemqve arci vitali inſidiantem ſubigere qvocunqve modo poſſit. Saltem iſte turbatus vel preſſus ſuæ integritati reſtituatur, per ſe tunc profligabit, qvicqvid vim intentabat. Natura enim morborum medicatrix. Inde eſt, qvod tàm diverſiſſimi & inſperati nonnunqvam effectus medicamentorum eorundem aſſumptionem conſeqvantur, qvatenus ſcilicet Archei regimini coacta fuerunt auſcultare. Sic nuper dabā ſcorbutico cuidam gr. 4. tartari emet. Ludov. c. ⊖ qvodam vegetab. alcaliſato, inde tantum unus vomitus, qvinqve verò ſedes ſatis largæ movebantur. Ab Opii gr. ij in hyſterico-

dyſentericâ graviſſimè affecta non ita pridem alvus copioſiùs laxabatur, & teneſmus augebatur. Qvoties arcanum dupl. cinnab nativ. c. ⊖ ſuccin. volat. purgantis inſtar alvum moviſſe alii obſervarunt? Cauſas communiter hic adduci ſolitas non ignoro, ſed qvod illis fidẽ habere neqveam, facit tantilla medicamenti doſis, longiſſimus inteſtinorum tractus ſpirit. influxu undiqve ditatus, varia ægri ad medicamentum exhibitum affectio ſuo fræno moderans ac dirigens effectum. Provoco ad idioſyncraſias & amuleta, qvorum energiæ non ſanè in craſſo corporali, ſed ſpiritali principio radicantur. Et qvorſum referetur, qvod oſteocolla in vino ſumpta inſtar cæmenti oſſa conſolidat, cum propter gravitatem & ſpiſſitudinem ne hilum qvidem ad locum affectum perducatur. Cum Helmontio igitur, Thomſono, aliisqve accuratioribus ſtatuimus, Panaceas ſpirit. vitales debiliores vel multiplicare per ſui ſimiles, ut animoſè ac ſtrenuè hoſtem ſuum debellent: vel vitioſis ideis inqvinatos venuſtiſſimorum objectorum ſpeculis illuſtrare, ut hilariores facti cum alacritate ἀφανίζωνται τὸ νοσοποιόν: Vel in anomaliam adactos blandè componere, pacificare ac tranqvillare: Vel exacuatos acriqve qvadam cacoethia infectos edulcorare aut mitiſſimè, qvidqvid digeſtũ

& â con-

& â confortio vitali ſegregatum διὰ ξυμφερόντων χωρίων ſine vel minimâ fermentorum & officinarum digeſtivarum læſione, aut vitalium ſpirit. detritione nunc per alvum, nunc per ſudorem, nunc per inſenſibilem tranſpirationem, nunc per ſalivationem educere. Pro qvibus ſcopis obtinendis Panaceæ *Vegetabiles* videntur magis ſpiritus confortare: *Minerales* cauſas occaſionales removere & humorum maſſam commovere: *Animales* novas ideas imprimere. Plura huic exegeſi inſervientia qvi deſiderat, adeat *Thomſon. in Rect. Chym. Curand. Meth. c.* 10. *&* 11. itemqve *Autorem Medic. Theoriâ & Prax. Generali inſtructi part.* 2. *c.* 3. Ante omnia verò qvivis ſublimiorum iſtorum candidatus ê memoriâ nunqvam dimittat illud:

Nî DEUS adfuerit, viresqve infuderit herbis,
(mineralibus & animalibus)
Nil vel Dictamnus vel Panacea *juvat.*

ΤΩι ΘΕΩι

Τῷ ἐνεργοῦντι τὰ πάντα ἐν πᾶσι, τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, πᾶν κτίσμα, ὅ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ ὑποκάτω τῆς γῆς καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης, ἅ ἐστι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα, λέγῃ καὶ τὴν εὐλογίαν, καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν δόξαν καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων!

F I N I S.

M V. lun